



70

an p. 5. 5

Fausto Omine!

IN VIGILIA PASCHATIS,
EVIGILANTE VICTORE NOSTRO
JESU CHRISTO,

IX. April.

Ipsò scilicet Anniversario die,

DE

FUNESTISSIMO SILESIO-
RUM PRÆLIO, IX. APRIL.
A. MCCXLI. AD LIGNITZIUM CUM
TARTARIS FORTITER COM-
MISSO,

ORATIONEM

publicè habebit

M. VAL. ALBERTI, Lehnensis Siles.

Dial. & Metaph. Prof. Publ. Collegiiq; B. M.

Virg. Collegiatus.

Lector audiendo & Deus exaudiendo

benè ominantem juvet!

LIPSIÆ,

Literis HAHNIANIS.

H. Jungmann



Ancidit hōc annō, secundūm antiqvos fastos, in nonum diem Aprilis Vigilia Paschatis, quā evigilasse Victorem nostrum Jesum Christum, & ad triumphum se accinxisse, nos Christianā & publicā pietate recordamur. Eōdem die, juxta eundem temporis calculum, anniversariā recollectione fatale ac lethale praelium recolimus, quod ante IV. secula & XXIII. annos Henricus Pius, Dux Silesiæ, Henrici Barbati & S. Hedevvigiis Filius, Princeps Pius, Magnanimus, & cum bono publico natus pariter ac mortuus, cum Tartaris ad Lignitziū, fortissimō animō sed funestissimō eventu, commisit. Annus hōc praeliō insignis, est supra MCC. quadragesimus primus, quem contra alios, quadragesimum tertium substituentes, præter communem Historicorum concentum, in antiquissima pictura Curiam Lignitzensem designare, meminimus. Tanta verò hujus praeliū celebritas est, ut ex illis, qui ejus temporis res gestas leviter etiam commemorando attigerunt, nemo ferè sit, qui utramque id paginam tabellarum suarum facere non jusserit. Ipsi etiam Tartari occisorum multitudinem insolenti novem culeorum mensurâ, quos resectis singulorum auribus repleverant, nobis non minus posteris, quàm Tartariæ suæ incolis annumerare voluerunt. Nec tamen sanguinem suum frustra Heroës dicam an Martyres nostri pro Ecclesia Christi litârunt. Germania ipsa ingenti periculo liberata est, quæ in limine hoc suo cum barbaris fortitudinem suam experiri, & victa vincere ipsis etiam victoribus visa fuit. Pedem enim ulterius proferre ausi non fuerunt, sed regressi in Pannoniam vincere se, victoriâ uti non posse, demonstrârunt. Talia animō revolvere, hōc tempore non incommodum est, quo Tartari à Turcarum Tyranno in belli societatem pertracti, vestigia majorum premere, & in Silesiam conterminasque provincias impetum facere, non minori spe quàm animō annituntur. Et licet

in quâlibet fermè aliâ re, quàm in temporis fortuito recurſu aliquod præſidium ponere velim; ab eo tamen hõc tempore citra temeritatem omen aliquod nobis per pias preces promittere poſſumus. Mihi quidem minimè ſuperſtitioſo, & ei tamen, qui nunc etiam Numinis divini vim & efficacitatem aliquando in ominibus ceu in ſpeculo cerni & depingi non dubitem, haud videntur illa extenuanda, nedum deridenda. In iis tamen rectè cognoscendis oculatiores eſſe non poſſumus, quàm ſi oculos ad cælum elevemus, pretiumq̃ve ipſis non ab aſtrorum virtute, ſed ab ipſius Dei bonitate & clementiâ faciamus. In precibus etiam omen noſtrum, non in ſuperſtitione conjecturarumq̃ve vanitate repositum eſſe volumus. Sic eq̃videm omen fiet, ubi nullum eſt. Et orantes ego optimè ominantes judico. En verò Tibi egregiam occaſionem ſollicitandi victoriam à reſurgente Victore noſtro Jeſu Chriſto, quæ refugium ad preces à neceſſitate Tibi imperatum non ſine jucunda ſpe victoriæ piis mentibus offerre ac perſuadere videtur! In Vigiliam Paſchatis hõc annò ſuaeſtiſſimi prælii memoria incidit. Quis Victorem dormire poſſe putaverit, ubi nobis ab iisdem barbaris periculum eſt, eumq̃ve precibus tuis, Vigilem Iſraëlis, in tempore ſuſcitaris? Victor peccati, mortis & inferni triumphum agit. Quis viliffima inferni mancipia, devictis Dominis, prædam nos Victori noſtro eripere poſſe, dixerit, ſi in eo, præſidiò noſtrò, nos & res noſtras collocaverimus? Hæc omnia quis bonus improbare audeat? Feriâ ſecundâ Pentecoſtes, Anno Domini MCCCCLII. IV. Cal. Jun. à Mahomete, ejus nominis Secundo, Turcarum Tyranno, Conſtantinopolis expugnata eſt. Die natali Chriſti, ſub finem Anni MDXXII. Rhodii jam ſextum menſem obſeſſi & variis oppugnationibus graviter afflicti, Solymano Turcarum Imperatori ſe dedere, coacti fuerunt. Duo igitur ex feſtis Chriſtianorum præcipuis, Turcarum victoriis prophana ſunt. Superat tertium, imò ſuperet! quod in celebrandis Victoris noſtri Jeſu Chriſti triumphis ſolemnitatem ſuam conſumit. Hoc noſtrum ſit, victoriamq̃ve nobis promittat! Imò id fiet, ſi à tempore occaſionem mutuaverimus ſociandi nobiſcum Victorem ipſum, cujus in manu victoriam ſitam eſſe ſcimus.

LUE

tur omnium pietate opus est. Oremus omnes, ubi omnium culpa pariter & pœna est, ut omnium victoria esse possit. Absint convitia, & compescantur lingvæ, quæ discordiam inter cives concitare & turbas conflare seditionemque, malitiosè consueverunt. Quomodo enim communi morbo novorum ulcerum Autores mederi poterunt? Quid discordiâ proficient, ubi concordia res parvas crescere, opus est? Posset his narrari Æsopica apud Aristophanem fabula:

Æsopus à cœna redibat vesperi,
Hunc allatrabat improba & petulans canis;
At ille ad hanc conversus, ô canis, canis,
Hæc si repressâ, ait, lingvâ tuâ malâ
Panem coëmeres, cor Tibi esse crederem.

Lingvâ enim omninò, sed non ad allatrandum, verùm ad orandum, utendum est. Hanc artem à nobis discant, lingvasque petulantes suas doceant clamosi turbatores; & meliora nobis promittere poterimus.

Ex hoc verò pietatis studio ego de Prælio Lignitzensi Orationem futurò die IX. April. anniversariò, ipsaque Paschatis Vigiliâ, publicè in Inferiore Majoris Principum Collegii Auditorio habere decrevi. Si non omne, certè pietate ad id instigatus sum, cujus etiam nomine Magnificum Academiae Rectorem, Utriusque Reipublicæ Procures, Reverendum Ministerium, omnesque, qui bonis literis & communi causæ favent, eâ quâ decet submissione, reverentiâ ac humanitate, humiliter, obnixè, & peramanter rogatos volo, ut dictò tempore, horâ VIII. matutinâ, me in tempore verba facientem, benivolè auscultare dignentur. Ad nostra tempora factum simile oratione ipsâ sed magis precibus aptabitur. Ego verba præibo;

Ista sequi tacitâ pietate ac pectore vestrum est.

Benè Valete, & me gratum vobis & ad omnia humanitatis officia promptissimum semper expectate. P. P. Dominica Palmorum, III. April. A. M DCLXIV.

F I N I S.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

SLUB DRESDEN



3 0644366

